



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Quomodo stetit & vnxit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83011)

Nemo dicit remissionem peccatorum promeritam.

Mulier non testatur sibi remissa.

Superbum est tot ac tantos viros crasse hallucinatos dicere. Calumniosum est, hæresin eis impingere, quasi dicant, non gratis remissa peccata, quasi lachrymis & vinctione id meruerit. Nemo Catholicorum hoc dixit: aut si dixit, iam non Catholicus dixit. Illa quæ Euangelista recenset, non merita sunt remittendorum, sed dispositiones, aut si merita, non culpæ, sed pœnarum remittendarum. Si inscitia quispiam insimulandus est, eam in hoc loco manifestam cum impietate Calvinus prodit. Mulierem enim iam venia obtenta, eiusque rei certam, lachrymae ac reliqua fecisse interpretatur. Quo nihil absurdius. Si enim illa vnguentum adfert, lauat pedes lachrymis, capillis abstergit, vngit, vt testetur, sibi peccata iam ante pœnitentiam remissa, quid opus erat CHRISTI responso. Remittuntur tibi peccata tua. Nam pœnitentiam credebat iuxta Calvinianos sibi omnia remissa, nec minus certo id credebat, quam Christum esse presentem, vera dicere, Deum esse. Non ergo certitudinem illam asseueratio CHRISTI adauxit. Imo turbavit, quasi iam demum remitterentur. Ideo nonnulli apud Calvinum aliter interpretantur. Quidam, inquit, excipiunt, non tam ipsius, quam aliorum causa prolata fuisse hanc sententiam. Ille tamen respondet.

[Ego vero non dubito quin eius ratio maxime habita fuerit: atque id ex sequentibus clarius patet. Nec mirum est Christi voce de integro absolui, quæ iam ipsius gratiam gustauerat: imo quæ persuaserat vnicuique sibi esse salutis asyllum. Sic quotidie prætere fiduciam necesse est, cum à Domino petimus, vt peccata nobis remittat. Neque tamen frustra precationem hanc velut superuacua fundimus, sed vt magis ac magis cordibus nostris misericordiam suam obliget cælestis iudex, atque hoc modo nos tranquillet. Quamquam ergo conceptam huius gratiæ quam obtinuit fiduciam attulit hæc mulier, non tamen superuacua fuit hæc promissio, quæ ad fidei confirmationem plurimum valuit.]

Non rogamus Deum vt condas mundum.

Stolida est ratio. Si certo remissa scimus, rogando non confirmamus eam apud Deum, sed euerimus. Debitoribus illi, si receptis Chirographis, creditaque remissione, iterum ad preces verterentur, remissionemque rogarent, de creditoris fide & constantia dubitare non immerito censerentur.

Non minus de remissione certos se illi iactant, quam beati sint in cælo, nec de præteritis modo remissis, sed etiam præteritis & futuris, quæ credunt nunquam imputari.

§. 16. Præcipuus vero error est, quem etiam mitiores Calviniani ferre non possunt, ante pœnitentiam, ante fidem, peccata remissa esse. Error perniciosus, quia ardet à pœnitentia. Ita tum alium Adrianus Smutius contra Gruinckhouium. Vide Gruinckhouium in abstersione calumniarum Smutii, pag. 73.

Autem remitti ante pœnitentiam

[Tum quoque Nāi tuum folio 46. Deus remittit peccata antequam cor renouet ac regeneret; antequam boni quidquam fecerint, imo vero dum adhuc immandi sumus, & nomen eius profanamus. fol. 47. Realis siue actualis remissio peccatorum præcedit fidem nostram fol. 32. quia scelus nonum, quod Deus nobiscum pepigit, non tantum est sine conditione, sed etiam dum nos quam longissime absumus à conditione, in media morte, in peccatis iacentes: fol. 77. immutabilitas paterni amoris & gratiæ Dei erga nos, ea est, vt per eam amœtæmela sint dona saluationis, & remissionis peccatorum; etiam si nos mutemur, deficiamus, legem eius deseramus, atque ordinatio, nem profanemus, &c. Imo, quicquid agimus, tamen

non reicit nos ob vllum factum nostrum: Rufus præfat. ad concordiam cap. 111. Tanquam articulum fidei ratum habemus ac tenemus, eum qui semel crederit & renatus est, non posse vnquam inde totaliter excidere.]

VERSUS 38.

Et stans retro secus pedes eius, lachrymis cæpit rigare pedes eius & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento ungebat.

QUESTIO I.

Quomodo stetit & vixit?

§. 1. Sine Christus more nostro ad mensam sedens, siue more Orientalium accubuit, non potuit stans retro secus pedes eius, & lachrymis rigare pedes. Quod si dicitur stans fecisse dicitur, interpretatur aliud non in præsentem locum quam fuisse præsentem. Itaque stare in medio etiam dicitur, qui sedet, aut iacet.

Possit & alio modo intelligi, vt cum primum ingressa est, steterit, demissa oculo, nec aua succubula ad Christum accedere. D. inde gratia impelleret, & fide accesserit, lauerit, vnxerit. Hoc itaque accubitor, nam vt primum ingressa est triclinium, alio modo stetit, honesta inclinatione corporis, gestuque supplice, accedendi veniam petiisse, ac deinde Christi aspicientis benivolentia animata accessisse. Hoc enim decentius est, quam si continuo accubisset. Mortis autem est, vt ij, qui alienam domum veniunt, primo saluent, deinde de negotiis agant.

§. 2. Si nostros mores spectemus, insolens est, mulierem in conuiuium intruere, & vngere pedes, cuius consuetudinis fuit Præcipue apud Orientales.

§. 3. Lachrymis peccatorum veniam petit. Multi sanitatem corporis petunt venerunt, hæc anime curam sanam lachrymis agit. Calvinus ait, lachrymis & charitate iustitiam non reddim, quod verum esse ostendimus, sed præcedunt tamen illa omnia, & vt dixi, dispositiones sunt.

§. 4. Capillis capitis tergit, non quod opulentiam faminam linteola & syndones deficerent, sed modestiæ & amoris ista documenta fuerunt. Capillum Christo sacrabat, libidinibus olim illecebram. Mira certe deuotio, n. conuiuii capilli explicat, & pedes abstergit.

§. 5. Caput non vnxit, vel humilitate, vel quod hoc vnguentigenus capini non conueniret. Malo tam enim intelligere de modestiæ, qua caput attingere aua non est, professa se tanto honore profus indignam. Et supplicem genua pedesque tangere moribus contentanum erat, alioqui præstans fuisse vnguentum non est dubium, Christus enim illud opponit oleo, quo communiter vngi conuiuantes contuebantur, qua de consuetudine Matth. 26. pluribus actum est. Vnguentum Syrus optime vertit. *ܡܘܨܩܐ ܕܡܘܨܩܐ* In oleo, vel vinctione aromatis. *Bene schad bejms.* Oleum enim odoratum fuit, & vt in oratione de peccatrice dicitur Ephrem, omnium quod habet potest, præcelsissimum.